

phemiis plena gravissimis volitare undique scripta cepissent, profanas novitates vocum et sensuum viri eruditi atque fideles ad Dei Hominem retulerunt. Qui nimirum solita bonitate et benignitate desiderans errorem corrigi, non hominem confundi, secreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modeste, tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa. Cæterum cum recessisset ab eo, Petrus idem consiliis stimulatus iniquis, et ingenii sui viribus, plurimoque exercitio disputandi infeliciter fidens, resiliit a proposito saniori. Expetens denique Senonensem Metropolitanum, quod in ejus ecclesia celebrandum foret in proximo grande concilium, Claræ-Vallensem causatur Abbatem suis in occulto detrahare libris. Addit quoque paratum se esse in publico sua defendere scripta, rogans ut prædictus Abbas ducturus, si quid haberet, ad Concilium vocaretur. Factum est ut postulavit. Sed vocatus Abbas venire penitus recusavit, suum hoc non esse renuntians (60). Postea tamen magnorum virorum monitis flexus, ne videlicet ex ipsius absentia et scandalum populo, et cornua crescerent adversario, demum pergere acquievit, tristis quidem, nec sine lacrymis annuens, sicut in epistola ad papam Innocentium ipse testatur (61), in qua plenius lucidiusque negotium omne prosequitur.

14. Aduit dies, et ecclesia copiosa convenit: ubi a Dei Famulo Petri illius in medium scripta prolata sunt, et erroris capitula designata. Demum illi optio data est, aut sua esse negandi; aut errorem humiliter corrigendi; aut respondendi, si posset, objiciendis sibi rationibus pariter et sanctorum testimoniis Patrum. At ille nec volens respicere, nec valens resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur; ut tempus redimeret, Sedem apostolicam appellavit Sed et postea ab egregio illo catholice fidei advocato monitus, ut vel jam sciens in personam suam nihil agendum, responderet tam libere, quam secure, audiendus tantum et ferendus in omni patientia, non sententia aliqua feriendus; hoc quoque omnimodis recusavit. Nam et confessus est postea suis, ut aiunt, quod ea hora, maxima quidem ex parte memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, et interior fugerit sensus (62). Nihilominus tamen Ecclesia quæ convenerat, dimisit hominem, multavit abominationem, a persona abstinens, sed dogmata prava condemnans. Quando vero Petrus ille refugium inveniret in Sede Petri, tam longe dissidens a fide Petri? Et ipsum ergo auctorem eadem sententia cum erroribus suis apostolicus Præ-

(60) Vid. epist. 187.

(61) Vid. epist. 190.

(62) Vid. epist. 89 et notas ei subjunctas.

(63) Hæc fusius refert hujus libri auctor Gaufridus, qui et ipse concilio interfuit, in epist. ad episcopum Albanensem Henricum. Ad hæc idem Gaufridus disputationem edidit adversus Gilbertum quam

sul involvens, scripta incendio, scriptorem silentio condemnavit.

15. Fuit item Gillebertus, quem cognominavere Porretanum, Pictavorum episcopus, in sacris Litteris plurimum exercitatus, sed sublimiora se etiam ipse scrutatus ad insipientiam sibi. Siquidem de sanctæ Trinitatis unitate et Divinitatis simplicitate non simpliciter sentiens, nec fideliter scribens, discipulis suis panes proponebat absconditos, furtivas propinabat aquas, nec facile quid saperet, imo quantum desiperet, personis authenticis fatebatur. Timebat enim quod apud Senonas Petrum ei dixisse ferunt:

Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.

1123 Novissime tamen cum jam fidelium super hoc invalesceret scandalum, cresceret murmur, vocatus ad medium est, et librum tradere jussus, in quo blasphemias evomuerat, graves quidem, sed verborum quodam involuero circumseptas. Igitur in Concilio, quod in urbe Remorum papavenerabilis Eugenius celebravit, egit cominus adversus hunc Gillebertum Ecclesiæ sanctæ suo tempore singularis athleta Bernardus: primo quidem totum quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur, eliciens; deinde vero tam suis ratiociniis, quam sanctorum testimoniis biduana disputatione redarguens. Considerans sane nonnullos ex his qui præsidebant, jam quidem animadvertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen avertentes injuriam a persona; accensus est zelo, et domesticam sibi Ecclesiam seorsum convocat Gallicanam. Communi denique consilio, a patribus decem provinciarum, aliis autem episcopis et abbatibus plurimis, dictante Viro Dei, novis dogmatibus opponitur symbolum novum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, ut eorum videlicet omnium sicut irreprehensibilis fides, sic irreprehensibilis zelus cæteris innotescat. Ita demum apostolico iudicio et autoritate universalis Ecclesiæ error ille damnatur; episcopus Gillebertus an eidem damnationi consentiat, interrogatur. Consentiens, et publice refutans (63) quæ prius scripserat et affirmaverat, indulgentiam ipse consequitur, maxime quod ab initio cautus fuisset ea lege eandem ingredi disceptationem, ut promitteret sine ulla sese obstinatione, pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio, correcturum libere suam opinionem.

CAPUT VI.

De hæresi Henriciana in partibus Tolosanæ repressa et patratis ibidem miraculis.

16. In partibus Tolosanæ Henricus quidam (64), olim monachus, tunc apostata vilis, pessimæ vitæ, perniciosæ doctrine, verbis persuasibilibus gentis

habes infra.

(64) Confer Gaufridi de isto Henrico epistolam, quæ habetur post Vitæ librum sextum: et vide nostram Prefationem ad tomum I, articulo VI. De ejus erroribus vide epistolam 241 et sermonem 65 in Cantica.

illius occupaverat levitatem, et, ut prædixit Apostolus de quibusdam, in hypocrisi loquens mendacium (*I Tim. iv, 2*), fictis verbis de eis negotiabatur. Erat autem hostis Ecclesiæ manifestus, irreverenter ecclesiasticis derogans Sacramentis pariter et ministris. Nec mediocriter in ea jam malignitate profecerat. Sic enim de eo scribens Pater venerabilis ad principem Tolosanum, inter cætera ait: « Passim inveniebantur jam Ecclesiæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia, sine Christo denique Christiani. Parvulis Christianorum Christi vita intercludebatur, dum Baptismi gratia negabatur. Ridebantur orationes oblationesque pro mortuis, sanctorum invocationes, sacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, basilicarum ædificationes, dierum solemnium vacationes, chrismatis et olei consecrationes, et omnes denique institutiones ecclesiasticæ spernebantur. » (*Epist. 241.*)

17. Hac necessitate Vir sanctus iter arripuit, ab ecclesia regionis illius sæpius jam ante rogatus, et tunc demum a reverendissimo Alberico Ostiensi episcopo et legato Sedis apostolicæ persuasus pariter et deductus. Veniens autem cum incredibili devotione susceptus est a populo terræ, ac si de celo angelus advenisset. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset: tanta erat frequentia diebus ac noctibus adventantium, benedictionem expetentium, flagitantium opem. Prædicavit tamen in civitate Tolosa per aliquot dies, et in cæteris locis, quæ miser ille frequentasset amplius, et gravius infecisset; multos in fide simplices instruens, nutantes roborans, errantes revocans, subversos reparans, subversores et obstinatos auctoritate sua premens et opprimens, ut non dico resistere, sed ne assistere quidem et apparere præsumerent. Cæterum etsi tunc fugit hæreticus ille et latuit, ita tamen impeditæ sunt viæ ejus et semitæ circumseptæ, ut vix alicubi postea tutus, tandem captus et catenatus episcopo traderetur 1124. In quo itinere plurimis etiam signis in Servo suo glorificatus est Deus, aliorum corda ab erroribus impiis revocans, aliorum corpora a languoribus variis sanans.

18. Est locus in regione eadem, cui Sarlatum nomen est, ubi sermone completo plurimos ad benedicendum panes, sicut ubique fiebat, Dei Famulo offerrebant. Quos ille elevata manu et signo Crucis edito in Dei nomine benedicens: « In hoc, » inquit, scietis vera esse quæ a nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem. » Timens autem venerabilis episcopus Carnotensium magnus ille Gaufridus (siquidem præsens erat et proximus Viro Dei): « Si bona, » inquit, « fide sumpserint, sanabuntur. » Cui Pater sanctus de Domini virtute nil hæsitans: Non hoc ego dixerim, » ait, « sed vere qui gustaverint, sanabuntur: ut proinde veros nos et veraces Dei nuntios esse cognoscant. » Tam ingens multitudo languentium gustato eodem pane convaluit, ut

per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, et Vir sanctus per vicina loca regrediens ob concursus intolerabiles declinaverit, et timuerit illo ire.

19. Præcipuum [*al. primum*] sane miraculum quod per Famulum suum in urbe Tolosa Christus exhibuit, paralytici cujusdam clerici curatio fuit. Hunc in domo regularium clericorum sancti Saturnini, quorum unus ipse erat, ad petitionem Abbatis et fratrum circa noctis crepusculum, visitans Homo Dei, moribundum invenit hominem, qui extremum spiritum trahere videretur. Consolatus itaque miserum, et data benedictione egrediens, sicut postea confessus est, loquebatur in corde suo fidelis Servus ad Dominum tam fiducialiter, quam fideliter, dicens: Quid exspectas, Domine Deus? Generatio hæc signa quærit. Alioquin minus apud eos nostris proficimus verbis, nisi abs te fuerint confirmata sequentibus signis. » Eadem hora exiit paralyticus de grabato, et accurrens secutus et consecutus est eum, sacra vestigia devotione qua debuit amplexatus: cui subito procedenti obvians ex concanonice unus expavit et exclamavit, siquidem phantasma putabat. Quando enim de lectulo eum crederet surgere potuisse? Egressam magis a corpore ejus animam phantastice sibi apparuisse arbitratus aufugit. Sed ipsa demum tam ei, quam cæteris, rei veritas fidem fecit. Egreditur exinde sermo inter fratres, currit ad spectaculum tam jucundum: ipse etiam inter primos accurrit episcopus et legatus. Inde pergitur ad ecclesiam, eo ipso qui convaluerat præeunte: conclamatur in laudes Dei, eodem pariter concinente, ruit undique populus, benedicitur Christus, triumphat fides, infidelis quisque confunditur, exsultat pietas et impietas contabescit. Porro Vir Dei cellam ubi manebat ingressus, diligenter omnes observari aditus, observari januas jubet, ne quis pateat introitus populo concurrenti. [Sane is quidem Bernardus (hoc enim clerico nomen erat, qui sanus factus est) corporali beneficio non ingratus, magisque sollicitus pro remedio spirituali, secutus est Servum Christi, monasticum in Clara-Valle Ordinem proficiens, et habitum sumens. A quo etiam missus ad partes iterum Tolosanæ, et abbas illic constitutus, hodieque monasterio præest, quod Vallis-Aquæ dicitur.]

CAPUT VII.

De suavissimis beati Viri moribus, et præclaris virtutibus, et quid de suis miraculis sentiret,

20. Cum autem per totum ab eadem provincia reditum Viri sancti magis magisque signa crebrescerent, et multiplicarentur in dies, non prætereundum quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui a Christo humilitatem cordis et mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, et ex ipsa demum locutus abundantia cordis sui, domesticis sibi religiosis quibusdam fratribus aiebat: « Plurimum miror quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia acitare per talem. Nil mihi videor in sacris paginis super 1125 hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando si-

gna per sanctos homines et perfectos : facta sunt et per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur : confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, et a Domino ignorantur. » Hæc et hujus modi crebrius, secretiusque cum viris spiritualibus conferebat. Novissime vero opportunum sibi visus exitum reperisse : « Scio, inquit, hujusmodi signa non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem ; et Deum in homine, per quem talia operetur, non tam perfectionem considerare, quam opinionem : ut in eo commendet hominibus, quæ illi creditur inesse, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt ; sed pro eis magis qui vident illa, vel sciunt. Nec eo fine per eos ista Dominus operatur, ut ipsos probet cæteris sanctiores, sed ut cæteros magis amatores et æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi et signis istis : quandoquidem meæ illa famæ magis, quam vitæ noverim exhiberi ; nec ad meam fieri commendationem, sed ad commonitionem potius aliorum. » Satis, ni fallimur, hujus viri mirabitur animum quisquis hoc diligenti consideratione pensaverit, nec præstantius reputabit æstimator quisque fidelis, signa atque prodigia mirabiliter operari, quam perpetrata taliter interpretari. Sibi quoque non minus utile iudicabit imitandos ejus affectus, quam mirandos actus, et morum insignia, quam operum signa cognoscere. Sed ad hæc quis idoneus ?

21. In hujus siquidem pectore Viri Dei, pari fœdere puritas suavitasque consederant : satis quidem utraque mirabilis ; sed mirabilior utriusque complexus. Inde nimirum tam singulariter in unum hominem totius Orbis vota pariter concurrerant, quod puritatem suavitatem amabilem faceret, suavitatem puritatem acceptabilem ; ut difficile fuerit æstimare, gratiæ an reverentiæ amplius obtineret. Quis enim tam rigidi conversationis, qui Claræ-Vallensem non sublimiter revereretur Abbatem ? quis tam dissolutæ, qui non erga eundem dulciter afficeretur ? Dulcissimis enim affectibus plenum pectus ipse gerebat : sed quam libere eos, quoties causa deposceret, coercerat, humanissimus in affectione, magis tamen fortis in fide. Et ut breve aliquod hujus rei proferamus exemplum, sicut ipse quoque testatur in sermone super Cantica canticorum vicesimo sexto ; siccis oculis germani sui, et germani tam necessarii, tam dilecti, Gerardi videlicet, celebravit exsequias, siccis oculis corpus ejus tradidit sepulturæ, ne affectus fidem vincere videretur. Nam extraneum quemlibet vix, aut nunquam sine lacrymis sepelivit. Talem sibi illum uberius proinde fructificaturum manus divina formaverat, ut austeritatem suavitas morum tolleret, auctoritatem sanctitas conservaret. Cui enim vel tanta benignitas esset oneri, vel tanta bonitas non esset honori ? Legimus de Salomone, quod omnis terra desideravit videre vultum illius. Grande præconium : sed forsitan in hac parte non minus quam Salomon hic.

Neque enim satis credibile est, Salomonem illum in omni gloria sua tam universalem Orbis obtinuisse favorem, quam hunc in sua humilitate. Imo vero difficile omnino videretur ex historiis aliquibus invenire hominem unum, conversantem adhuc cum hominibus, in universa terra tam celebre et amabile obtinuisse nomen a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari.

22. Ut enim illas memoremus provincias, ex quibus usque hodie monumenta certiora superesse noscuntur ; et in Ecclesia orientali, et apud soles occidentos Hibernorum, et a meridie in remotis finibus Hispaniarum, et ab aquilone in insulis quæ procul sunt Daciæ Sueciæque, celeberrima ejus opinio fuit. Crebras undique recipiebat epistolas, et reddebat. Undique ei xenia mittebantur, undique ejus benedictio petebatur. Postremo quasi vitis abundantissima suos undique palmites propagavit, 1126

excepto quod in terram Jerosolymitanam, quamvis locus esset a Rege paratus, ob incursus Paganorum et aeris intemperiem, non acquievit mittere fratres suos. Neque vero episcopus ille incongruum aliquid usurpasse videtur, qui post sacrum ejus obitum, dum fratres consolaretur, inter cætera hoc quoque in ipsius prosecutus est laudem, quia in omnem terram exivit sonus ejus, et in fines orbis terræ verba illius. Vincebat tamen sublimitatem nominis humilitas cordis : nec tantum poterat universus eum mundus erigere, quantum se ipse dejicere solus. Summus reputabatur ab omnibus, infimum ipse se reputans : et quem sibi omnes, ipse se nemini præferebat. Denique, sicut nobis sæpius fatebatur, inter summos quosque honores et favores populorum, vel sublimium personarum, alterum sibi mutuatus hominem videbatur, seque potius reputabat absentem, velut quoddam somnium suspicatus. Ubi vero simpliciores ei fratres, ut assolet, fiducialius loquerentur, et amica semper liceret humilitate frui ; ibi se invenisse gaudebat, et in propriam rediisse personam. Innata ei a puero verecundia usque ad diem perseveravit extremum. Inde erat, quod licet tam magnus esset, et excelsus in verbo gloriæ, numquam tamen (sicut sæpe eum audivimus protestantem) in quamlibet humili coetu sine metu et reverentia verbum fecit, tacere magis desiderans, nisi conscientiæ propriæ stimulis urgeretur, timore Dei, charitate fraternæ.

23. Patientiam ejus maxime quidem flagellis dominicis exercitatum novimus et probatam : qui nimirum ab ipso suæ conversionis initio usque ad diem sacræ depositionis tanta sustinuit, ut vita ejus, his qui noverant, non nisi quædam mortis protelatio videretur. Cæterum erga homines quoque, etsi rarior ei occasio, minora forsitan patientiæ potuit experimenta præstare, dicendum tamen vel breviter, ne hujus quidem apparuisse eum virtutis immunem. Et quia genus hoc patientiæ solitus erat dicere tripartitum, videlicet ad verborum injurias, ad damna rerum, ad corporis læsionem ; de singulis saltem singula proponamus exempla, quæ interim nobis oc-

currunt. Scripserat aliquando Dei Famulus ad episcopum aliquem (65) de curia et concilio Regis, monens eum super quibusdam verbis regi suadere, et consulere meliora. At ille vehementer exacerbatus, amarissimam ei reddidit epistolam, dicens in ipsa salutatione prima, « Salutem, et non spiritum blasphemiam ; » tanquam videlicet Vir sanctus (quod horror est dicere) ex blasphemiam spiritu illa scripsisset. Ad quod verbum mansuetissimus Christi servus, memor Dominicæ responsionis, *Ego daemonium non habeo* (Joan. VIII, 49) (sicut hodieque exstans ejus epistola continet) : « Minime quidem, ait, spiritum blasphemiam habere me credo, sed nec maledixisse cuiquam, aut maledicere velle me scio, præsertim principi populi mei. » Nec minus postea charum nec minus familiarem eundem episcopum habuit, sed elogium illud prædictum apud eum sic fuit quasi non dictum.

24. Abbas Farfensis conventum fratrum a Clara-Valle vocaverat, monasterium eis ædificaturus : sed Romanus impeditur Antistes, et sibi tollens eos in loco altero ordinavit (66). Unde plurimum dolens prædictus ille vir magnus, et magnæ devotionis, collectam pecuniam sexcentarum fere marcarum argenti deposuit sub chirographo, quam ad Dei Hominem veniens obtulit ei, rogans ut quod non meruerat in partibus suis, vel citra Alpes novum exinde cœnobitum conderetur. Missum est pro argento, et totum prorsus amissum. Nec respondit aliud Homo Dei, cum ei nuntiaretur, quam, « Benedictus Deus qui nobis peperit ab onere. Nam et illis, » inquit, « qui abstulere, levius indulgendum. Sunt enim Romani : et pecunia videbatur immanis, ac vehemens fuit ista tentatio. » Gratulari etiam consueverat, decem circiter monasteria, vel ædificandis monasteriis loca congrua numerans, fraudulenter et violenter sibi ablata, dum contendere nollet, 1127 et magis eum vinci, quam alios vincere delectaret.

25. Veniens aliquando Claram-Vallem clericus quidam, ex his quos Regulares vocant, importune satis instabat ut in monachum reciperetur. Suadente Patre sancto ut ad suam reverteretur ecclesiam, nec acquiescente recipere eum : « Ut quid ergo, ait ille, in libris tuis tantopere perfectionem commendasti, si eam desideranti opem renuis exhibere ? » Et maligno spiritu iracundiæ vehementius instigatus, sicut postmodum evidenter apparuit : « Jam, » inquit, « si illos tenerem, discerperem libros. » Cui Vir Domini : « Puto, » ait, « in nullo eorum legisti, non posse te in tuo claustro esse perfectum. Morum correctionem, non locorum mutationem, si bene memini, in libris omnibus commendavi. » Tum vero impetum faciens

(65) Joscelenum, episc. Suessionens., epist. 213.
(66) Id accidit tempore Innocentii secundi, qui monachos a Farfensi abbate petitos Romæ ad Aquas-Salvias locavit. Farfæ, quod monasterium est perillustre in Sabinis, tunc præerat Adenulfus loci abbas ab anno 1125 ad 1144, laudatus in Chronico Mau-

homo velut insanus in eum, percussit maxillam ejus, idque tam graviter, ut succederet statim rubor ictui, tumor rubori. Jam qui aderant in sacrilegum involabant : sed prævenit eos Servus Domini clamans, et adjurans per nomen Christi nullatenus eum tangere, sed educere caute, et curam ejus habere, ne ab aliquo ei vel in aliquo noceretur. Quod tam districte præcepit, ut miser ille timens et tremens absque omni injuria eductus sit deductus.

26. Et quidem in libertate spiritus Dei Famulus excellenter enituit, cum humilitate et mansuetudine tamen, ut quodam modo videretur et vereri neminem, et omnem hominem revereri. Increpatione rarius utebatur, monitis potius et obsecrationibus agens. Quam vero invitus, et non ex cordis amaritudine verbum proferret amarum, ex eo maxime animadvertebatur, quod perfacile hujusmodi impetum cohiberet. Siquidem mirabatur hominum improbitatem, quos aliquando forte turbatos, excusationem quamlibet rationabilem, satisfactionem quamlibet humilem admittere gravat, quod ipsa suæurbationis passio miseris sic delectet, ut oderint omne remedium ; ut contineant aures, claudant oculos, objiciant manus, et omnimodis satagant, ne semel orta commotio sedari valeat et sanari. Ejus tamen objurgationem non minus facile aliquando compecebat gravis et turbulenta responsio, quam humilis et modesta ; ut ab aliquibus proinde diceretur cedenti insistere, cedere resistenti. Dicebat enim, ubi resonat utrimque modestia, dulce esse colloquium : ubi vel ex parte altera, utile : ubi ex neutra, perniciosum. Ubi enim hinc inde duritia sonat, jurgium est, non correctio ; nec disciplina, sed rixa ; ut deceat magis interim dissimulare prælatum, et commotione sanata, utilius castigare subjectos ; aut certe, si ita res exigit, observare consilium Sapientis, quia *stultus non corrigitur verbis* (Prov. XVIII, 2). Loquitur ipse de increpationibus minus utiliter, minus patienter acceptis, in sermone super Canticum canticorum quadagesimo secundo, inter cætera dicens : « Utinam neminem objurgare necesse sit ! hoc enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes ; mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere, magis autem urget charitas. Quid si arguero et fecero quod meum est, illa autem procedens increpatione minime quod suum est faciat, neque ad quod misi illam, sed revertatur ad me vacua tanquam jaculum feriens et resiliens, quid me animi tunc habere putatis, fratres ? Nonne angor ? nonne torqueor ? Et ut mihi usurpem aliquid ex verbis Magistri, quia de sapientia non possum : prorsus *coarctor e duobus, et quid eligam nescio* (Philipp. I, 23, 22) : placerene mihi in eo quod locutus sum,

riniacensi tomo IV Chesnii, pag. 377, ubi dedicationi ecclesiæ Mauriniacensis ab Innocentio factæ una cum Bernardo anno 1130 interfuisse perhibetur. Gerardus ex monacho Farfensi Clara-Vallensis laudatur ab Herberto in lib. II de Miraculis, cap. 29.

quoniam quod debui, feci; an poenitentiam agere super verbo meo, quia quod volui, non recepi.» Et infra: «Dicas forsitan mihi, quod bonum meum ad me revertatur, et quia liberavi animam meam, et mundus sum a sanguine hominis, cui annuntiavi et locutus sum, ut averteretur a via sua mala, et viveret. Sed etsi innunera talia addas, me tamen minime ista consolabuntur, mortem filii intuentem. Quasi vero meam illa reprehensione liberationem quaesierim, et non magis illius! Quae enim mater, etiamsi omnem quam potuit curam et diligentiam aegrotanti filio adhibuisse se sciat, si demum se frustratam viderit, et omnes labores suos esse penitus inefficaces, illo nihilominus moriente, propterea unquam a fletibus temperabit?» Et haec haecenus.

1128 27. De caetero tantus amulator erat mansuetudinis et pacis; ut si forte improbus quisque petitor durius extorsisset a negante responsum, haud facile deinceps cum eadem repulsa demitteretur inanis. Siquidem velut naturaliter, ut fatebatur, oderat omne scandalum; et gravamen cujuslibet hominis sustinere, ei admodum grave; non sentire impossibile erat. Adeo neminem sprexit, nullius hominis scandalum parvipendit, etsi veritatem Dei, justitiamque praetulerit. Nam et quoties oporteret noxios aliquorum vel reprehendere actus, vel impedire conatus, tam considerate fiebat, ut abundanter ipsi quoque qui laesi viderentur, haberent unde sibi pro eo satisfacerent in cogitationibus suis. Sane vidimus ex ipsis quoque nonnullos, et de quibus minus id videbatur posse sperari, ampliori devotione ejus post modum vel obsequiis deservisse, vel etiam adhaesisse vestigiis. Dicitur tamen et invidos habuisse, ut haberet meritum et ex eis. Caeterum tam singulariter eminebat gloria nominis ejus, ut pestis illa magis desperatione, quam livore tabesceret, et timeret agnoscere. Quin etiam humilitate ejus et mansuetudine vincebatur, beneficiis suffocabatur, obruebatur obsequiis. Nimirum doctus erat vincere in bono malum, sicut ad quosdam fratres scribens, inter caetera ait: «Adhaerebo vobis, etsi nolitis: adhaerebo etsi nolim ipse. In vitis praestabo, ingratum adjiciam, honorabo et contempnent me (67).»

28. Usque adeo siquidem omnes homines germano amplectebatur affectu, ut eorum scandalo, sicut ipse fateri solebat, gravius ureretur, quibus nullum videretur occasionem scandali praebuisse. Plus enim piissimum peccatum gratuitum affligebat alterius scandalum, quam propriae immunitas conscientiae solabatur. Siquidem minus sperabat posse sanari quod unde procederet non videbat; magnum sibi e regione solatium fore perhibens, quoties inveniret unde satisfacere posset, vel homini pro se, vel Deo pro homine non sine occasione turbato. Erga omnium quidem hominum spirituale commodum incommodumve amplius afficiebatur: et sum-

(67) Epist. 253, ad abbatem de Praemonstrato, n. 10.

num ei desiderium, summum gaudium erat animarum fructus, conversio peccatorum. Et corporeas tamen necessitates piissimo miserabatur affectu; cujus tanta erat humanitas, ut non modo hominibus, sed irrationabilibus etiam animantibus, avibus compateretur et feris. Nec compatiendi deerat virtutis effectus. Contigit enim aliquoties, ut iter agens, fugientem, et (ut videtur) protinus capiendum vel lepuseculum a canibus, vel aviculam ab accipitribus, signo crucis edito mirabiliter liberaret, diceretque sequentibus frustra sese conari, nec ullatenus se praesente hujusmodi exercere posse rapinam.

CAPUT VIII.

De scriptis sancti Bernardi, et animi ejus effigie in ipsis expressa.

29. Haec nos quidem de sacris moribus Patris nostri pro modulo nostro sub brevitate perstrinximus. Caeterum longe eminentius in suis ille libris apparet, et ex litteris propriis innotescit, id quibus ita suam videtur expressisse imaginem, et exhibuisse speculum quoddam sui, ut illud quoque Ambrosianum merito illi posse videatur aptari: «Laude sua ipse se sonet, et laureatus spiritu scriptis coronetur suis.» Si quis enim nosse desiderat, quam sollicitus ab initio sui ipsius dijudicator et scrutator exstiterit, primum opus illius de gradibus Humilitatis inspiciat. Inde si quaeritur pie mentis religiosa devotio, transeundum ad homilias in Laudibus Virginis Matris; et illum quem de Diligendo Deo edidit librum. Si fervens contra suorum vel aliorum vitia zelus, legatur is quem Apologeticum vocat. Si vigil eodem in zelo circumspeta discretio, de Praecepto et Dispensatione disserens audiat. Quam vero fidelis cujuslibet pie conversationis commendator exstiterit et adjutor, Exhortatorius ad milites Templi Sermo declarat. Quam non ingratus gratiae Dei, ex his liquet quae de Gratia et Libero Arbitrio tam fideliter, quam subtiliter disputavit. Quam liber in voce, quam disertus, et in rerum superiorum pariter **1129** inferiorumque scientia locuples, in his quae ad papam Eugenium de Consideratione scripsit, diligens considerator agnoscat. Quam devotissimus praedicator alienae sanctitatis, tam diligenter episcopi sancti Malachiae vitam prosecutus ostendit. Nam et in Sermonibus super Cantica, et investigator mysteriorum, et morum aedificator magnificus innotescit. In Epistolis, quas ad diversas personas ob negotia diversa dictavit, prudens lector advertet, quo fervore spiritus justitiam omnem dilexerit, omnem aequè oderit injustitiam.

30. Fidelis etenim servus Christi non quaerebat aliquid suum: quidquid tamen erat Christi, sic curabat ut suum. Quae enim scelera non arguit? quae odia non exstinxit? quae scandala non compescuit? quae schismata non resarcivit? quas haereses non confutavit? Quid vero sanctum, quid honestum, quid pudicum, quid amabile, quid bonae famae, quid

virtutis, aut laudabilis disciplinae, suis ortum in qualibet regione diebus non roboravit ejus auctoritas, non fovit charitas, diligentia non promovit? Quid ante promotum dilatari amplius non optavit? quid forte collapsum non totis pro loco et tempore viribus egit ut repararetur? Quis malitiam quamcumque disponens ejus zelum et auctoritatem non timuit? Quis proponens quodcumque bonum, ejus, si potuit, non consuluit sanctitatem, non desideravit favorem, opem non flagitavit? Quis ad sacrum in ejus pectore habitantis templum divinitatis, de quacumque tribulatione fideliter clamaturus accessit, et inefficaciter laboravit? Mœstus ab eo solatium, afflicti auxilium, consilium anxius, aeger remedium, pauper subsidium reportabat. Ita sese omnium fecerat servum, ac si toti genitus Orbi: ita tamen liber ex omnibus conscientiae suae curam gerens, tanquam soli deditus curae et custodiae cordis sui.

31. [Et quidem divisiones gratiarum commendat Apostolus (I Cor. xii): et si quis diligenter quaerit, inveniet diversos ab initio Dei famulos in diversis enituisse muneribus. Legimus enim viros in fide magnificos, multiplicibus claruisse miraculis: alios spiritum habuisse propheticum, et **1130** futura quasi praesentia, occulta velut sub oculis posita mirabiliter cognovisse. Alios nihilominus antiquorum litterarum protestantur graviore ab abstinentiae deditos, parcimoniam coluisse: alios in humilitatis proposito, spreto dignitate hujus saeculi, auctori saeculi plurimum placuisse (68): alios in doctrina verbi ad salutis scientiam plurimos erudisse; ut secundum promissionem Scripturae sanctae, luceant

(68) Haec inserta ex mss. variant in edit. et quibusdam mss.

LIBER QUARTUS,

AUCTORE GAUFRIDO MONACHO CLARÆ-VALLENSI.

CAPUT PRIMUM.

De reditu ejus ab Urbe, et asportatis inde sanctorum reliquiis. Item de beneficiis diversis ejus merito, sed ipso inscio, in alios collatis.

1. Sicut sermone super Cantica canticorum vicesimo quarto servus Domini Bernardus Claræ-Vallensis gratulatur, et gratias agit illi; tertio quidem reditum ab Urbe suum clementior e caelo respexit oculus, et serenior tandem vultus arrisit, quod quiescisset rabies Leonina, accepisset finem malitia, recepisset Ecclesia pacem. Tanta vero exultatione Ecclesia illum Gallicana recepit, ut non minorem videretur de suo reditu exhibere, quam de pace reddita nuntiatam letitiam. Unde etiam mirari ipse saepiusque causari, quod dum sibi post tam graves frequentias hominum et tumultus, velut ab exordio valefaciendum saeculo judicaret, et tanquam

quasi stellae in perpetuas aeternitates (Dan. xii, 3.) Alii quoque in aedificandis coenobiis laborantes, amplificaverunt nomen sanctitatis: alii in seclandis scandalis et turbinibus hujus saeculi promovendis quae Ecclesiae Dei negotiis efficaciter occupati, utiles in actione: alii in sacris meditationibus spiritualiter feriati, sublimes in contemplatione fuerunt. Quid horum nostro videbitur defuisse Bernardo? Imo quid horum tam insigne in eo non fuit, ut ad commendationem satis esset, etiamsi caeterorum aliquid non adesset? Nam et si multiplicibus Ecclesia sui temporis tam in supra memoratis negotiis, quam in aliis pluribus actionis ejus utilitatem meruit experiri: magnifice tamen etiam gratia contemplationis in eo tam ex visionibus et revelationibus Domini, quam ex scriptis suis, quae spiritualibus exuberant sensibus, elucescit. Porro monasteriorum fructus, quae per eum Dominus ordinavit, tam copiosus et evidens, humanis sese ingerit oculis, ut nullis egeat litteris commendari. Magis autem et ex ipsa quoque eorumdem multitudine coenobiorum omnis deinceps generatio certum capere poterit documentum, quantos collegerit ad servitium Christi, qui tam multos undique propagavit. Quod ad reliqua spectat, de humilitate ejus, et dignitatibus refutatis, sed et de tenuissimo victu, superius prosecuti, ex his quae ad prophetiam pertinent ostensionemque virtutum, sub alio quidem principio curabimus annotare perpaucis de multis.] Et nunc igitur jam super his, quae in signis exterioribus, et multiplici virtutum exhibitione consistunt, secundus, ut praemissum est in praefatione, libellus aliquanta narrabit.

de novo adoriendum sacrae propositum conversationis; tunc potissimum uberius exciperetur gaudiis, obsequiis coleretur. Rediens autem Pater sanctus ab Urbe, ex sanctorum Apostolorum martyrumque corporibus xenia secum attulit pretiosa, haud modicum hunc sibi reputans fructum esse laboris. Inter quae beati Caesarii dentem quoniam modo receperit, memorandum. Cum enim integrum ei praedicti martyris caput exhiberetur, ut tolleretur inde quod vellet, dari petiit dentem unum. Frustra vero aliquandiu fratres qui cum eo venerant laborantes, concessum sibi trahere penitus non valebant. Fractis enim cultellis duobus aut tribus quos applicuerant, nihilominus adhuc dens immobilis permanebat. Tum ille: «Orandum nobis,» ait. «Nec enim habere possumus, nisi Martyr ipse concedat.» Facta denique oratione reverenter ac-